pellant. Ea constituetur ex coniunctione firmamenti et rationis
defensione hoc modo. Cum dicat se orestes causa patris ulcis
cendi matrem occidisse rectumne fuerit sine iudicio a filio
clitomestram occidi. Ergo hac ratione iudicationem reperire
convenit. Reperta iudicatione omnem rationem totius orationis
eo conferri oportebit. In omnibus constitutionibus et partibus consti
tutionum hac via iudicationes repperientur praeter quam in coniecturali
constitutione. Nam in ea nec ratio quare fecerit quaeritur. fecis
se enim negat. nec firmamentum exquiritur quoniam non subest ratio.
Quare ex intentione et infitiatione iudicatio constituitur
hoc modo. Intentio. Occidisti aiacem. Infitiatio. Non occidi. Iudica
tio. Occideritne. Ratio omnis utriusque orationis ut ante dic
tum est ad hanc iudicationem conferenda est. Si plures erunt con
stitutiones aut partes constitutionum. iudicationes quoque erunt
plures in una causa. Sed et omnes simili ratione repperientur.
Sedulo dedimus operam ut breviter et dilucide quibus de rebus ad
huc dicendum fuit diceremus. Nunc quoniam satis huius voluminis
magnitudo crevit. commodius est in altero libro de ceteris rebus
deinceps exponere. ne qua propter multitudinem litterarum
animum tuum possit defetigatio retardare. Si qua tardius
haec quam studes absolventur. cum rerum magnitudini tum nostris
quoque occupationibus assignare debebis. Verum tamen matura
bimus. et quod negotio diminutum fuerit exequabimus in
dustria. ut pro tuo in nos officio et nostro in te studio munus
hoc accumulatissime tuae largiamur voluntati;

Incipit secundus liber rethoricae ad herennium. In primo libro he
renni breviter exposuimus quas causas oratorem recipere
oporteret. et in quibus partibus officii artis elaborare conveniret.
et ea officia qua ratione facillime consequi posset. Verum quod

Herenni